



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 111. Simulatus Elisabethæ luctus ob hujus Reginæ necem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.
A.C. 1587.

cepit, easque rogavit, ut pro ea suas ad Deum preces funderent, atque ubique testes essent, quod in avita, sancta, & Catholica Religione vitam finierit. Demum cervicem trunco imponens rursus hæc verba: *in manus tuas* &c. ingeminabat, moxque carnifex bis repetito ictu caput abscidit.

§. CX.

Regina carnificis manu capite plexa.

Thuan. l. 96.
Cambden in
vit. Elis.
Mem. d' E-
toile t. 1.
pag. 219.

Tum hæc Regina nonnisi quadragessimum quintum ætatis annum agebat, octodecim omnino annis carceris squalore confecta. Ceterum nihil vestium, quas Regina deferebat, relinquebatur, sed datis pecuniis suam quisque mercedem obtinebat: cuncta vero hujus Reginæ sanguine aspersa, imo ipsi etiam pegmatis asseres, pannusque substratus, in ignem projiciebantur, ne quid reliquiarum superesset, ut Anglicani Ministri ajebant, quod superstitioni occasionem præberet.

§. CXI.

Simulatus Elisabethæ luctus ob hujus Reginæ necem.

Rapin.
Thoyr. hist.
d' Angl. t. 6
l. 17. p. 358.

Hic demum fuit exitus gloriosissimæ Scotiæ Reginæ Mariæ Stuartæ, quæ innocua vindictæ, qua Elisabetha implacabili odio in eam flagrabat, victi-

ma

ma cadere cogebatur: nihilominus Sæcul. XVI.
A. C. 1587.
ob crudelis hujus supplicii exitum
Londinenses hæretici in publicas læ-
titiæ testificationes erumpebant, vix
enim hujus Regicidii fama increbuit,
cum illico omnes pulsarentur campanæ,
ac Magistratu id nondum jubente fe-
stivi ignes per urbem accenderentur:
Angliæ vero Regina suam simulationem
usque ad ultimum hujus tragœdiæ exi-
tum continuare satagebat, nam vix
accepto nefandæ hujus cædis nuntio
ob Mariæ Reginae mortem tam acerbo
se oppressam dolore fingebat, ut in eju-
latus, lacrimasque prorumperet, imo
& hosce Consiliarios judicii severitate
puniendos simularet: eapropter David-
sonum coram Judice comparere, eum-
que imposta decem millium sterlingi-
corum nummum multa plecti, atque
in carcere ad Reginae arbitrium deti-
neri jubet, quamvis vero hic incas-
sum apologiis mox editis suum scelus
tueretur, nihilominus diu in carcere
hærebat, licet Regina toto captivita-
tis tempore ad ejus sustentationem
abunde pecunias elargiri præciperet:
tandem ipse solus simulatæ justitiæ vi-
ctima esse debuerat, quamvis ceteri
Consiliarii, quibus Regina veniam im-
pertiebatur, ipso longe nocentiores
essent: insuper Elisabetha datis ad ipsum

Sæcul. XVI. Scotiæ Regem literis crudelem Mariæ
A.C. 87. Matris ejus necem vindicare non eru-
 bescebat: attamen hic Princeps primo
 tam indignam mortem ulcisci paratus
 jamjam in eo erat, ut Elisabethæ Ora-
 torem Regno excedere juberet: verum
 cum Regni sui Proceres, qui ferme om-
 nes Elisabethæ factioni addicti erant,
 id dissuaderent, simulque profiterentur,
 quod mortis sententia in ejus Matrem
 Reginam pronuntiata nullatenus illius
 juri in Angliæ Regnum præjudicium
 ferret, tandem idem confictas Elisa-
 bethæ excusationes acceptabat, suoque
 dolori imperans nullum justæ indigna-
 tionis suæ signum prodebat.

§. CXII.

*Pontificis moderatio ad hujus suppli-
 cii immanitatem.*

*Leti Vir de
 Sixt. V.
 t. 2. l. 8.
 p. 141.*

Dum hujus supplicii, quo Scotiæ
 Regina affecta est, fama per univer-
 sam Europam brevi divulgabatur, Nun-
 tius quoque Apostolicus, qui in Galliis
 agebat, misso nuntio de hujus facino-
 ris indignitate Sixtum V. summum Pon-
 tificem certiozem reddebat. Hic sum-
 pta cœna cuidam fenestræ innitebatur,
 cum Montaltus Cardinalis ejusdem Ne-
 pos Nuntii Pontificii literas deferebat,
 quem Pontifex, cum is historiam ad-
 eo tragicam referret, fixis oculis in-
 tuens,